

Caput octavum.

105

descripta sunt, pristinum quippe institutum persequor; non pauca neque spernenda ex scriptoribus anecdotis, in quos incidi, mutuatus sum: quibus longè præstat Flaminus Vacca sculptor Romanus. Is de monumentis Romanis suo & majorum ævo deprehensis, observationes bene multas cum suo tum notorum experimento collegit: atque Anastasio Simonetta Perusino, qui Romanarum antiquitatum librum accuratione multa parabat, dono obtulit. Observationes Flaminii, ut nullo ordine inter se cohærebant, sed intermixtæ erant, ut quæque forte fortunâ sese obtulit, nulla habita argumenti ceu rei descriptæ ratione; ita liberum fuit eas ad institutum aptare meum, cum maximè hoc pacto ad germanam feriem propriamque sedem reponantur. Schedas autem ejus Italico vulgari idiomate conscriptas, Latinè reddere visum, quò eruditis forent opportuniores. Eas sane, ut nova & intacta multa complectuntur, antiquitatis studiosis non displicituras confido. Erat Flaminus nobilis sculptor Romanus, cujus peritiam produnt opera fabrilis non pauca variis in templis ædibusque Romanis. Is decimo-sexto sæculo floruit, videtur ad decimum-septimum produxisse vitam. Visitur ejus sepulcrum, sed sine anni significatione, in ecclesia S. Mariæ Rotundæ, ubi iconi ejusdem marmoreæ subjicitur epitaphium sequens:

D. O. M.

*Flaminio Vacca sculptori Romano, qui in operibus
quæ fecit, nunquam sibi satisfecit.*

Epistolam ejusdem ad Anastasium Simonettam hic præmittimus.

Clarissimo Viro Simonetta Anastasio, Flaminus Vacca

S. P. D.

Cum rumore nuntio acceperim te, Vir Clarissime, Romanarum antiquitatum librum accuratione multa & labore adornare; in grati animi signum pro innumeris abs te mihi collatis beneficiis, hæc quantulascumque schedulas meas tibi transmitto, ratus cordi tibi fore observationes hæc meas penes te habere, quas à pueritia ad annum usque vitæ 56. tum meis ipse oculis, tum narratu multorum accepi, de iis quæ Romæ nostra ætate variis in locis effossa ac deprehensa sunt. Accipe quæso; Vir